

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXV. De triplici unguento animae.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

omnia sustinuit ineffabili patientia, ut nos ab omni liberaret miseria. Tertium est amor ille inscrutabilis, quo nos singulis momentis respicit, et fovet cura piissimæ paternitatis, ita quod ille, qui est creator noster et Dominus redemptor, et frater dulcissimus semper adstans Patri pro nobis, cuncta nostra disponit, et promovet negotia, tamquam advocatus et minister fidelissimus. Hæc tria singulis merito horis sunt habenda in memoria, sed specialiter tunc cum intersumus cœlesti convivio, quod nobis donavit amator noster amantissimus, pro inæstimabilis amoris testamento merito semper recolendo.

CAPUT XXV.

DE TRIPLICI UNGUENTO ANIMÆ.

CUM pro quadam orasset, quæ sibi conquesta fuit quod minus devotionis sentiret dum communicaret, hanc doctrinam ex Deo sibi dedit: « Quando volueris communicare, si cor tuum sentis tepidum ad orationem, nec habens tale desiderium et amorem prout dignum est, clama toto corde ad Deum, et dic: *Trahe me post te; curremus in odorem unguentorum tuorum.* (CANT. 1. 3.) In hoc verbo *trahe*, cogita quam potens et immensus fuit amor, qui omnipotentem et æternum Deum ad tam ignominiosum crucis traxit supplicium; desiderans ut ipse qui dixit: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me* (JOANN. XII. 32), cor tuum trahat cum omnibus viribus animæ tuæ in seipsum, et faciat te currere cum amore et desiderio in odore trium unguentorum illorum, quæ de sui dulcissimi Cordis nobilis-

sima apotheca tam large profluxerunt, quod cœlum et terram impleverunt. Primum est aqua illa rosacea quam amor divinus ex rosa illa nobilissima, Dominico scilicet pectore, in camino decoxit charitatis: hoc unguento utaris proablutione faciei animæ tuæ, recogitans diligenter, si aliquam invenies peccati maculam, quam ores abluere hoc fonte misericordiæ quo latronem lavit in cruce. Secundum unguentum est vinum illud rubeum, sanguinis scilicet sanctissimi, quod torcular expressit in cruce, et cum aqua eduxit de Cordis ejus roseo vulnere; ex quo petas animæ tuæ faciem colorari, ut tanto convivio possis digne aptari. Tertium est supereminens et superaffluens divini Cordis inæstimabilis dulcedo, quam nec mortis potuit minuere amaritudo; et dicitur unguentum balsamiticum, omnem vincens odorem aromaticum, et valet ad omnem animæ languorem. Hoc unguentum petas infundi cordi animæ tuæ, ut gustet et sentiat quam suavis est Dominus, et gustata ejus suavitate impingeris, dilateris, et incorporeris ei qui se tibi talem dedit per amorem. Et cum nullam ex omnibus prædictis sentis suavitatem, petas ut in dulcissimo et fidelissimo amatore tuo perficiatur, et ut ipsi sapiat tua insipiditas, ac in ipso servescat omnis tua tepiditas; ipseque solus glorificetur in omnibus operibus tuis, hic et in futuro. »

Cordis
divini aqua
lavat, sanguis
ornat,
dulcedo
fovet
animam.

CAPUT XXVI.

QUAM BONUM EST HOMINEM SÆPIUS COMMUNICARE.

CUM etiam oraret pro quadam quæ sæpius communicare trepidabat, Dominus respondit: « Quo sæpius homo communicat, eo purior anima efficitur, sicut quo frequentius